Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift

His autem factis ministri defecerunt, et exclamauerunt dicentes: Ve nobis quia nos magis torquemur quam hic detestabilis; manus nostre iam defecerunt et uncini fracti sunt; nichil facere possumus. Tunc impius Fabianus iussit eum in ima carceris includi. Et uenerunt ad eum omnes religiosi et confortabant eum, ut in agone martyrii constanter certaret. Audiens hoc inuidus Fabianus iussit eum de carcere tolli et in amphiteatrum induci, et precepit ut duo leones ad eum mitterentur qui erant diri, ut ossa eius comminuerent. Cumque rixarentur bestie, sanctus Porcianus orauit dicens: Domine Ihesu Christe, salua me de ore leonum, ut enarrem nomen tuum fratribus meis. Dum complesset orationem, uenerunt ad eum ipsi leones rugientes, et cum uidissent, ita sunt mansueti effecti, ut inclinantes capita sua adorarent beatum Porcianum. Quod cum uidisset omnis populus, exclamauit uoce magna dicens: Uere magnus est deus christianorum, dimittatur sanctus dei. Tunc Fabianus uidens seditionem in populo fieri, iussit eum iterum in carcerem recludi, et ibi eum per xii dies relinqui donec fame spiritum exalaret. Cumque reclusus esset in carcere, ecce circa mediam noctem angelus domini apparuit ei in ima carceris cum cibis celestibus, et confortauit eum dicens: Forti animo esto. Post xii uero dies uenerunt ministri ut tollerent corpus eius, estimantes eum mortuum esse pre nimietate famis, et inuenerunt illum psallentem atque dicentem: In domino confido, non timebo quid faciat mihi homo. Renuntiaueruntque iudici dicentes: Nichil mali sentit. Tunc Fabianus preses precepit ut educeretur de carcere, et iussit liquefieri plumbum et perfundi dorsum eius. Hec dum audissent ministri, attulerunt eneum caccabum et fecerunt eum cum plumbo feruere, nuntiaueruntque presidi paratam esse penam. Audiens hoc preses dixit: Extendite eum in lectum ferreum et perfundite super eum, forte exterritus sacrificate diis. Tunc ministri tollentes cacabum eneum perfuderunt dorsum sancti Porciani, et sicut enatat aqua e marmore, sic et plumbum e dorso eius enatauit. Et dixit ad presidem: Ecce deus meus de omnibus suppliciis tuis me eruit, et non erubescis. Fabianus iudex dixit: Audi me, Porciane, et sacrifica diis, et salua animam tuam. Sanctus Porcianus dixit: Obmutesce infelix, et noli auribus meis hanc iniuriam facere, quoniam dii tui demonia sunt muta et surda, que te non possunt adiuuare. Audiens hoc Fabianus iudex iratus est ualde. Et dixit: Contemptor deorum Porcianus, qui diis sacrificare noluit, spiculatori tradatur, et caput eius ab eo abscidatur. Quo dicto duxerunt eum foras, et ibi genua figens sanctam orationem fudit ad dominum dicens: Gratias tibi omnipotens deus, qui me ad hanc horam perduxisti, ut per agonem passionis diabolum confundam in tuo sancto nomine. Et nunc domine suscipe spiritum meum in pace. Et cum hec diceret, percussit eum spiculator, et statim sanctus Porcianus consummauit martyrium suum die nono decimo kalendarum februariarum. Et aduenerunt christiani per noctem et abstulerunt corpus eius a ponte Sangnario, et sepelierunt eum in pace non longe a muro ciuitatis Spolitane, in fundo qui appellatur Luciani, et sepultus est xv kalendas septembris. Et dederunt omnes gloriam deo qui uincit inimicos et coronat sanctos suos, cui est honor et honor et gloria in secula seculorum. Amen.

Passio Sebastiani martyris.

SEBASTIANUS VIR christianissimus, Mediolanensium eruditus, ciuis uero Narbonensis oriundus, Diocletiano et Maximiano imperatoribus ita carus erat, ut principatum ei prime cohortis traderent, et suo eum conspectui iuberent semper astare. Erat enim uir totius prudentie, in sermone uerax, in iudicio iustus, in consilio prouidus, in commisso fidelis, in interuentu strennuus, in bonitate conspicuus, in uniuersa morum honestate preclarus. Hunc milites ac si patrem uenerabantur affectu. Erat enim uerus dei cultor, et necesse erat ut quem deus perfuderat gratia ab omnibus amaretur. Christo quoque cotidie sedulum exhibebat officium, sed agebat quatenus hoc sacrilegis regibus esset occultum, non passionis timore perterritus, non patrimonii sui amore constrictus, sed ad hoc tantum sub clamide terreni imperii Christi militem agebat absconditum, ut christianorum animas quos in tormentis uidebat deficere confortaret, et deo redderet animas quas diabolus conabatur auferre. Denique postquam multas martyrum mentes a timore passionis eripuit, et ad coronam perpetue glorie incitauit, ipse quoque quis esset aperuit, quia lumen in tenebris latere non potuit. Clarissimis quoque uiris Marcelliano et Marco duobus germanis fratribus pro Christi nomine in uinculis constitutis cotidie solatium exhibebat, et tam ipsis quam seruis eorum, cum quibus tenti fuerant, salutaria fidei consilia ministrabat, quibus fugitiua seculi blandimenta respuerent.